

præsentि animo aggredi, verūm etiam adversas & mole-  
stas moderatè pati.

4 Magnanimitas est fortitudo, quâ homo res arduas laboris & periculi plenas intrepidè & constanter suscipit & aggreditur.

S C H O L . Περὶ Ἑὐόματος ἀμφισβήτησις . Aristoteles enim passim magnanimitatem facit peculiarem virtutem, à Fortitudine diversam, nempe quæ sit mediocritas inter χαυνότητα, id est, elationem animi, & μικροψυχίαν, id est, pusillanimitatem, ut monuimus suprà cap. II. Sed quum non desint probati autores, ut Cicero & Seneca, qui magnanimitatem ad Fortitudinem referunt, rectè idem à nobis fieri existimamus. Cic. lib. 3. Tosc. ait, necessitatem est, qui sit fortis, cundem esse magni animi. Seneca lib. de 4. virtutibus inquit, mensuram magnanimitatis esse, nec timidum esse hominem, nec audacem. Imò ipse Arist. lib. 4. Ethic. Nicomach. c. 8. inter alia officia magnanimi refert & hoc, quòd sit μεγαλοκίνδυνος, i. e. quòd magnis periculis sese objiciat. Hæc igitur virtus mandat, quod Poëta suadet: *Tu ne cede malis, sed contrà audentior ito.* & alibi: *Ibo animis contrà, vel magnum præstet Achillem.* Inter facta populi Romani præcipue commendatur hæc magnanimitas à Virgil. lib. 6. Æneid.

---

Romane memento

*Parcere subjectis, & DEBELLARE SUPERBOS.*

Imò etiam subjectis parcere, magnanimitatis species  
est, juxta illud Ovidii:

*Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni:*

*Pugna suum finem quam jacet hostis, habet.*

In sacris præclara exempla habemus. Catalogum magnanimorum heroum nobis exhibet c. II. lib. I. Paralip. Admiranda fuit magnanimitas Maccabæorum, quâ à crudelissimis tyrannis, Antiocho Epiphane (rectius Epiplane) & reliquis populum Judaicū liberârunt. Contra Licinii sævitiam Christianos fortiter & animosè protexit & defendit Constantinus M. cuius eterna memoria extat